



*Auguste Reuther,
2. II. 1840.*

Q. D. B. V.

1904, 4

22

4

9

DISSE^TRAT^IO MEDICA
DE OBSESSIS,

Quam

Ad præscriptum
Constitutionis FRIDERICIANÆ,

P R A E S I D E

GUNTH. CHRISTOPH.

SCHELHAMMERO,

Med. D. & in Academia Kiloniensi

Profess. Publico Primario, &c. &c.

Publice defendet

BONIFACIUS LAURENTII

Tonningensis.

Die 2. Octobr. 1704.

In Auditorio Majori.

K I L O N I ,

Literis Bartholdi Reutheri, Acad. Typogr.

DE OBSESSIS

Dissertatio Medici

Dissertatio Medici

Dissertatio Medici

Ad propriate tem prelim intro*du*c*to*m

Confu*n*ci*o*n*io*n*e* HuRDERICIANE

Ser 5 Rec 2 1 Doc

Continuituation Christopher

Schelhammero

Wer De 11 Accred*em*is Koni*n*zen*iu*s

Beagle Pappe*o* Contra*dict*o*ri*o*m* 11 11 11

Speciali speciali

Bonific*ac*ius Fabri*n*tin*ii*

Trans*lat*io*n* e*st*

11 11 11 11 11 11

11 August*in*io*ri*o Mosi*ri*

Kon1

Idere*s* Beagle*o* Beagle*o* Accad*Y*ale*o*

DISSE⁽¹⁾TATIO MEDICA,

DE OBSESSIS.

Mirari subiit non semel, quod Sacer Codex non verbis modo disertis docet, sed exemplis etiam & multis admodum, & magnis, luculentissimisque evincit (1) infinitis vero aliis constans experientia tot seculorum comprobatur, id a plerisque hodie non tam in dubium vocari, quam ingenti confidentia praefracte negari: Reperiri scilicet, qui à Dæmonie malo obsessi agitentur.

II. Quo magis autem magisque de ea re cogito, eo magis obfirmatur animus in illa sententia, quam plurimis jam ab hinc annis fovere cepi: Fieri id ipsum singulari vafricie pessimi spiritus, qui quod D. Paulus Christianis nobis hominibus præscripsit faciendum: ἐξαγοράζειν τὸν καρπόν (2) sollicite callideque observans, priusquam Christus Regnum occuparet, idolatria, apertaque vi, & eminenti dominio superbe imperabat. Nunc vero, posteaquam ex folio adventu ejus deturbatus, & ad Tartara repulsus est, clandestinis technis, dolisque mentes hominum aggreditur, & raram sui copiam facit, tamq; abjectā vilemque sui speciem ingerit, ut ne quidem existere Dæmonia, aut ubi obtinere id ut credatur, non potest, catenis ita vincita existiment, ut non magis quam canis domicilii custos no-

A ce-

(1) Vide Matth. 8. Marc. 5. Lus. 8. Marc. I. Luc. 4. Matth. 17.
Marc. 9. Lus. 9. Matth. 9; ejusd. 12. Luc. 13. (2) Rom. XII. 11.

cere non possit ; imo propemodum ne latrare quidem audeat.

III. Ad quod eruditi seculi nimia fiducia abutitur : Dum enim hodierni plus sibi , & pulchrius sapere videntur , quam omnes veteres , etiam hoc suggerit φυσιγνώμενα ipsorum ingenio , ne credant eorum quicquam , quæ superare naturæ vires videantur : fabulas esse , quicquid quotidie non accidit aut non ipsi viderunt : Interest enim hostis humani generis , se ignorari , quo ex infidiis validius oppugnet innocentiam : Facileque adeo obtinet quod cupit , postquam nonnulli eorum etiam Mundi creationem ita ceperunt particulatum , ut facta sit , exponere , ut & ipsi idem præstare potuisse , videri queant : primorum parentum non degeneres filii , rursumq; Deo similes . Dum itaq; in hoc sibi nimium placent , in eo veluti summam sapientiam collocant , nihil eorum credere , quæ vel ab integrerrimis viris relata leguntur , si sphæram divini intellectus sui , si Diis placet , transcendant : quo ipsi omnem destruunt historicam fidē ut non minus de hac , quam salvifica illa Christi verba accipienda videantur : *Putasne fidem , cum venerit , inventurum esse Filium Hominis ?* (3) Tales itaque sunt contortæ colubri tortuosæ fraudes , qui nunc omnia , nunc nihil esse , videri cupit , pro re nata . Vide consentientem nobis Hieron. Jordanum , Lib. De eo quod est Divinum in morbis , cap. 71. p. 25.

IV. Quo vitio tamen præ ceteris Galli laborant , iisque , unum saltem vel alterum Batavorum si excipias , quod ipsorum auctoritas & in eos perpenfa hodie multorū voluntas seducit a recto etiam alios , pene soli : Illi profecto sunt , qui & sapientiæ opinione

(3) *Luc. XIII.8.*

inflati,

DE OBSESSIS.

3

inflati, maxime turgent, videnturque sibi longe veteres omnes anteire, & novæ Philosophiæ favent unice: Popularis sui Cartesii amore & scriptis porissimum duci. Hi post reliqua Magiam etiam omnem, spectra, denique & Obsessos, omnemque satanæ potestatem plusquam *Wieriana* audacia in suspicionem adducunt, & ut exemplis, literis relatis, omnem derogent fidem, præeunte rursus ex suis *Gabriele Naudœ*, erudito aliqui, sed ex ingenio, nationi suæ proprio omnia ejusmodi spernente atque obterente, (4) assidue dant operam. Luculentum ejus rei edidit nuperrime iterum specimen, auctor libri qui inscribitur: *Reponse aux questions d'un provincial*, quem recensuit anno præterito in Historia operum Eruditorum (*Histoire des Ouvrages des Savans*) Dominus *Banagius Beauvallius*, tametsi negare omnia penitus, ut solent alii, non audeat, multa sane vel tacite fateatur. Quantum ab his, disfidet *Plutarchus* etiam, auctor gravissimus, Philosophus & historicus insignis, quando: *Quodammodo Philosophiam, ait, tollunt, qui rebus mirabilibus fidem non habent. Oportet autem, quam ob causam aliquid fiat, ratione tractare; quod vero id fiat, ex historia est sumendum.* Et *Plinius*: *Quemadmodum multa fieri non posse, priusquam facta sunt, judicatur, ita multa quoque, quæ antiquitus facta sunt, quia ea non vidimus, neque rationem assequimur, ex iis esse, quæ fieri non potuerunt, judicamus: Quæ certe summa insipientia est.*

V. Recte! faciunt enim hoc contra omnium seculorum experientiam & fidem; in eoque dum infallibles (sit verbo) esse volunt, eaq[ue] facta negant, de quo &

A 2

vul-

(4) *Lib. Apologie des grands hommes accusés de Magie.* (5) *V. Sympos. cap. 7.*

vulgaribus hominibus, & eruditis æq; convenit, tanquam ridicula deliramenta irrident, turpissime semet ipsos fallunt, incidentes in Scyllam, dum Charybdim student evitare.

VI. Verum de his æquum ferre judicium, venturis seculis relinquamus. Id enim in quo vivimus, ita amore sui penitus captum atq; in his occœcatum est, ut frustra emendationem expectes. Ne tamen, qui ipsis mos est, præjudicia nobis veterum lectione harentia, objiciant, ipsi præjudiciis maximis laborantes, monendum hic est, non modo nosmetipso obseßum Patavii sub D. Antonii sacro altari inclusum subterraneo loco vidisse, horrendum mugientem, tremula & absonta voce audivisse, cui Dæmon, sacerdote per Jesu nostri sanctissimum nomen id injungente, pulsus in momento excitans, febrilem dispositionem induxit, iterumque, eodem imperante, dicto citius sustulit: Verum & Hispanum novisse Londini, ubi eodem victu mecum utebatur, virum grayem, sapientem, catum, & cui tuto fidas, qui integros duodecim annos in America exegerat, Germaniam, Galliam, Italiam obierat. Is obseßum se vidisse asseverabat, cui postquam omnibus istis linguis (Germanica excepta, quam unam non satis in expedito habebat,) locutus esset, tandem duodecim diversis Americanis dæmonem esse aggressum, omnibus istis promissima exactitudine respondentem: Quod unum exemplum sufficientissimum esset, meo quidem judicio, omnem fraudis hic suspicionem tollere, & in tuto collocare rei veritatem. Quibus additur merito magni quondam Academiæ hujus Theologi,

DISS. DE OBSESSIS.

logi, Christiani Kortboli inter Germanica opuscula nuper denuo edita comparens *Historia de Obsesso Feme-rensi*, quæ tam est urgens, ut nemo æquitis rerum arbitratur dubitare possit. Cum itaq; de Naturæ ratione & existentia nosmetipſi jam pridem, de Magicis autem morbis nuper adeo quidam ex nostris, candidatus clarissimus, (6) doctissime, & *angustioratus* differuerit, nunc de Dæmoniacis etiam, argumenti affinitatē nos invitante, per occasionem pauca dicere visum fuit.

VII. Enim vero de *Obsessione & obseſſis* agere pro vario objecti (ut cum Philosophis loquiamur) formaliter, & *Theologorum* est, & *Metaphysici*, sive *Pneumatici*, & *Naturalis philosophi*, & denique *Medicorum* quoque: qui non modo de his, utrum vere tales sint, qui esse videntur, judicium ferre, sæpiſſime rogantur, sed non raro etiam, hunc ipsum humani generis hostem saltim per indirectum oppugnare possunt, præsertim in modo memoratis morbis magicis: est enim hoc ipsum *τὸ βεῖν* quod Divinus noster *Cous*, per Ethnicas etiam tenebras exquisitissima qua pollebat, mentis acie jam olim perspexit.

VIII. Definitionem vero Obsessi construere, non opus esse arbitrari: Notissimum enim, eo nomine censi eri illos, quorum corpora maligno aliquo spiritu agitantur, a quo miris plerumque contortionibus membra agitantur, ea vero peraguntur, proferunturque, quæ vel exuisse animum humanitatem omnem indicent, vel superuenti humani ingenii vires.

IX. Hi itaque Dæmoniaci & obseſſi nobis vocantur; quæ nova quidem videntur vocabula: Nam cum

A. 3 Roma-

(6) Christ. Mart. Burchardi de Morbis Magicis.

Romanorum res florerent, nihil ejusmodi inter illos observatum. In religionis enim ludibrium solis illis insidiabatur, qui nomen in fidelium cœtu professi sunt. Græce ἐνεργόμενοι; quia intus a Dœmone agitantur: item καταδυνατεύομενοι ὑπὸ τῆς διαβόλου. Invadit autem eorum corpora satanas, ut olim statuas idolorum forte insedit, & ex iis præcepit quod factō opus sibi videbatur: In quibus, et si multam sacrificiorum fraudem intervenisse, facile cum van Dale (7) credamus, plane tamen negare rem omnem, cum multa prohibent, tum hæc nostra: Si enim humana corpora anima sua instructa invadere eum licet, quidni & liceat lignea, aurea, aut marmorea simulacra? An obstat durities, verebiturque, ne minus molliter hic cubet? quare aut admittere hanc δίωρην, van Dalius, aut obfessos etiam cogetur negare: quod nunquam poterit, quin elevet S. Literarum fidem & testimonia infinita prudentissimorum & expertissimorum hominum, vanissima arrogancia recuset.

X. Non tamen lo pariter omnibus hominibus & sine discrimine illabi, τὰ διαιρόμενα posse palam est: cum limitata admodum sit eorum potestas, & sub clipeo Divinæ omnipotentiæ ab insidiis ejus tutum, quicquid manus sua olim sapientissime est fabricata, totaque adeo natura: Quam ille quidem intime novit, ac destruere (satim hanc inferiorem) omnino & posset fortassis & vellet, sed potenti Numinis virtute. tanquam injectis vinculis cohabetur. Multo vero maxime hominibus ad imaginem Dei creatis cupit male,

(7) Lib. peculiari de Oraculo.

adeoque & ipsis solis propemodum inhiat: quos tamen singulari vicissim opera protegit, & ab ejus technis illæ servat auctor Deus, electos præsertim suos, id est, vere pios, qui illius potentiam minasque rident, sub angelorum custodia securi.

XI. Verum hæc inquirere sollicitius, sacrorum est Antistitium, nos potius de iis dicamus quæ ad nos pertinent: & primo quidem loco, de causis quæ ipsi potestatem faciant tantam in corpus, ad imaginem Dei formati spiritus domicilium. Sunt autem illæ, manifestæ quidem, & præ ceteris evidentes duæ. I. summa & deplorabilis quædam hominum ipsarum impietas, qua Deo sacrificque omnibus renunciantes, malo Dæmoni se totos devovent: quod paetum, si postea, pœnitentia acti, rescindere forte velint, illique sua piis precibus præda eripitur, tum vel levi causa iterum invitatus, corpus invadit: cuius rei cum alia multa, tum illustre prorsus exemplum est illud Magdeburgicū quod a Reverendo Dno. Schrivero, verbi Divini ibidem ministro, qui istis omnibus interfuit & per quem res acta est maxime, sub titulo: das verlohrne Schaaf / publicatum paucos intra annos aliquoties typis exscriptum fuit.

XII. Deinde etiam sæpe aliis ad se possidendum homines Diabolum invitant flagitiis: ut si spiritum familiarē, quem vocant, sibi acquirere studeant, eoq; utantur, postea vero ab eo se cupiant liberari. Tales enim etiam ipsi potestatem faciunt, ut rejecto hoc symbolo, ab eo sæpe animato, relicta externa specie, interna eorum subeat:

Ejus

Ejus rei documenta occurunt passim. *Joh. Jordanus L.*
de eo quod Divinum in morbis generatini dicit: In Fran-
cia & Italia venales, semper exitio fuisse emtoribus, lucu-
lent & probant historie. Unum & ipse adfert in medium
Dæmon, ait, in capsula inclusus Basileæ, possessoritanti pon-
deris esse cepit, ut in ipso viriles artus deficerent. Uxor e-
iusdem incaute aperiens, rabida facta & minitante De-
mone, se non prius exiturum quam ipsam necasset. Quod
ne commentum credant inepti horum derisores, tiant
persimile huic haut ante multos annos, in hac nostra di-
tione accidisse: nisi quod, quæ possedebat dæmoniacum
spiritum fœmina, cum eum transferre in alios, quod
cupiebat, non posset, in rabiem ætam, tristi obitu
e vita excessisse.

XIII. Porro & Sagæ Magique, permittente ob ho-
minum peccata scelus Divino numine, Dæmones in
corpora humana immittere possunt. Ita *Simonem Ma-*
gum decipere se tentantes, variis morbis & Dæmonibus
subjecisse, autor est *Anastasius Nicenus Episcopus*, & simi-
lem *Magum* immisisse virginis cuidam Dæmonium ab
Hilarione ejectum, *S. Hieronymum* scripsisse legimus.
Anno MDLXXXI. In Vivaresiæ oppido, *Annona*jo
Venefica quædam *Bojarona*, liberos proprios, nucibus
quibusdam abliguritis, dæmonibus possidendos manci-
pavit. Alium hausta portiuncula sanguinis, dæmon in-
travit, teste *eodem auctore* gravissimo Jordano, quidam,
inquit, non ita pridem cum per æstus nocte ve-
hementer sitiret, e somno surgens, potu non in
vento, obvium forte malum prehendit; id man-
dens

(10) *L. de Abd. rer. caus. II, 16.*

dens, fauces sibi quasi manu preclaudi, strangulanique sen-
fit, simulque a subeunte Dæmons jam obsessus, visus est in
tenebris videre se a prægrandi cane vorari &c. De a-
lio mox narrat juvene: *Demon interrogatus, quæ ista po-*
testate moliretur, respondit, se in hoc corpus injectum à
quodam, cuius nomen non effertur. Femerensis etiam
puer a verula accepto, comestioque parte recenti, prote-
nus male habere cepit: Denique obsessum constituit. V.
Koribolt. c. l. p. m. 332. Pluta non addidit, possunt enim
in exemplum hæc sufficere.

XIV. His ita perspectis, pergamus ad symptomatum, vel potius actionum p. n. narrationem, quæ in obcessis solent occurrere. Non statim enim sui copiam facit Dæmon, sed variis in principio, ut colubrem infernalum decet, convolutionibus se torquens, adstantibus il- ludit, morborum specie quadam latens. Ad idque fere gravissimis symptomatis stipatos eligit: uti sunt Convulsiones, Epilepsia, in mulieribus rero uterini affectus & hysterica passio.

XV. Ut plurimum vero in iis conspicitur iterata caninae linguae exertio, nigrae, tumidae, confortae; tum & colli elongatio enornis: constrictio & suffocatio. Quædam Helmstadii foemina, diu obessa, nec penitus liberata, quoties recitat tentare cantum sanctissimum cuius initium est, Gott der Vater wohn uns bey &c. non nisi summa cum difficultate ejus verba proferebat, ma- xime omnium ad ista hæsitans: Für den Teuffel uns bewahr / & tum quasi vim passa, obmutescat, collumque ejus sèpe ad ulnæ fere longitudinem extrahebatur, & tum horrendum boando, bovis vocem scite refe- rebat:

B. 10. v. 100. (11) XVI.

G. CHRISCHELHAMMERI

XVI. Sed non horum solum , verum & omnium animalium voces non raro dæmones fingunt : quod apud Brassavolam contigisse legitur, ubi obfessus alias canem fingendo , alias eqvum , hinniendo , se exhibuit. Dentium stridorem & spumam oris , tanquam rabidi canis, inter signa Dæmoniacorum relata, ipsa etiam historia sacra Salvatoris sanctissimi confirmat. (11) Obmutescere etiam nonnunquam dæmoniacos , crebra observatio docuit, idemq; & sacra litera de obfesso narrant , qui simul & surdus erat. (12) Vide & Kortholti memorabilem in hoc locum , p. 314. Laryngis capite nimirum , ubi vocis organon est , obfesso , vel linguae usu sublato . Oris halitum foetidissimum post paroxysmum Diabolicum quidam memorant in ipso paroxysmo etiam Wierus. (13) Pectoris constrictionem , cordisque dolores & angustiam , satis nota , non commemoro.

XVII. Aliquando & miris convulsionibus , quod modo tetigimus , torquentur obfessi , quæ naturæ modum superant , ut plures robusti viri resistere non possint , aut membra contorta flectere , aut in naturali situ contine-re : Quod accedit illi , de quo modo ex Fernelio retulimus , quem vix ministri quatuor poterant cohibe-re : Vide & Henricum ab Heer. (15) Quin etiam correptos subito torquet , & quasi fulmine tactos prosternit humi . Exemplum luculentum iterū vel in sacro codice habemus : (14) ubi ad Dominum veniens pater , auxiliū filio miserrimo exoraturus , queritur , Dæmonem ipsum quandoque etiam in aquam , in ignem projicere , summo cum periculo.

(11) Marc. 9. v. 28. (12) Ibid. (13) De Malef. Affect. c. XL. (14) Marc. IX, v. 32. (15) Observ. oppido rar. VIII.

XVIII. Attollit quoque corpora, & elevat in aërem,
frustra renitentibus, & retinere tentantibus qui adstant,
nec raro cum impetu in solium rursum dejicit, innoxie
tamen. Notum in id est, quid Magdalenaë Cru-
ciæ, monachæ Cordubensi, non quidem obseßæ, sed dia-
boli prostibulo carissimo, in ipso Divino cœtu sæpe con-
tigerit. Simile quid apud Wierum est (16), quem evolvas
velim. Nec alia ejus rei testimonia desunt, si operæ
prestium esset cumulare. Est ubi Energumenis totum
corpus emaciatur (verba sunt Hier. Jordani (17) tanto
cum æstu, ac si ardentissima febre corriperentur.

XX. Sed hæc lævia sunt, & pleraq; (Cordubensi tamē
exemplo excepto) etiam morbosis corporibus naturæ
viribus accidere possunt: Illud præcipuum, quod
vocis sermonisque organis obsefforum utitur pro lubitu
dæmon, & ea profert, quæ non sine stupore adstantes
audiunt: Et quidem, quod meretur attendi, non
nunquam ignaro illo cuius lingua abutitur, quid di-
ctum fuerit, ut pueru Fenerensi accidit: aliquando vero
contra. Fernelius: (18) Cum intermissio erat ferocie, labo-
rans in quiete omnium meminerat, quæ invitum se protu-
lisse fatebatur, & dolebat. Nec vernacula solum, sed exoticis
etiam linguis, & quarum nullam laborantes noti-
tiam habebant antea, promtissime, si quid petitur, expli-
cat: Quod frustra in temperamentum hominis peculia-
re nonnulli, & primus quidem omnium Janus Huartus
Hispanus, in Scrutinio ingeniorum referre conatus est,
a Jordano, aliisque refutatus.

B 2 XXI.

(16.) Lib. cit. cap. X. (17) pag. 110. doctissimi operis citati. (18)
dit. loc.

XXI. Deperegrinis linguis, nota res est, & vel unum a me supra allatum exemplum Americanarum omnem fraudem hic abesse, prorsus evincit. Abuti autem etiam vernacula pessimum, in aperto. Non enim reprimit diu se, quin immundum & impurum ingenium suum prodat omni spurcitie, ea deprofensi, quae nec antea ex homine audiebantur unquam, nec ferenda sint castis auribus: cantilenas profanissimas cantans, iisque se oblectans, ridens, plaudens, sibilans: etiam blasphema in sanctissimum Numen jactans, nominare illud non audens, sed vel voce *Ille*, vel alio usus, cum mentionem ejus facere ipsi necessitas est.

XXI. Aversatur & hymnos, & sacra cantica, & in his nullum magis odit quam illud, cuius nuper mentionem feci, cœtibus Christianis familiare: itemque: *Eine feste burg ist unser Gott ic.* Nec sanctorum Sacramentorum, baptismi maxime, mentionem fieri, patienter fert, sed jactat se, contorquet, pugnat, furit, obloquitur, tumultuatur, quantum ipsi permisum est: nec finit preces recitare quos possidet, ut fœminæ Helmstadiensis exemplo modo fecimus palam. Puella Brunsvicensis, cuius Jordanus meminit, sextum comma Orationis Dominicæ prolatura, obmutescet illico. Quam tamen impotens sit & miser, ex eo colligitur, quod, ubi nullis comminationibus, nullaque humana vi ejus cohiberi rabies potest, modo infans *evagresciens* capiti manum imponat, & preces fundat, ira compescitur, ut ne mussitare quidem audeat: cuius rei non unum exemplum mihi notum est.

XXII. Multo vero maximum & hoc, quod ea quæ alibi aguntur, & quidem extra ædes, in locis etiam longe

DISS. DE OBSESSES.

B

22

longe diffitis, aut occultis; non raro etiā quid de negotio quod agitur, futurum sit, præcipue adventum Deo sa- cratorum, vel aliorum piorum virorum prænunciet, non sine effusis in eos injuriis, aut scismaticis. Sic de Quercetensibus monachis obsessis legitur: *Quo- ties Henricus, Cameracensis Episcopus, aut Dominus Egidius Nettelet, Decanus ejusdem ecclesie, viri virtu- tum, accederent, en! inquiunt (Dæmones per obsessas, loquentes) Cornutus ille nunc in via est, ut nobis commi- netur; ut ex Maffei Chronico notavit Jordanus (19) qui addit: Ita etiam puerilla Brunsvicensis energumenus 1647. quoties Ecclesie ministri appropinquabant: Ecce veniant, dicebat, jam aderant! Ego vero addo: Idem eveni- se, & anno 68. illius seculi in eadem ditione Brunsvicen- si, exclamante Dæmone: En! venit senex ille Nebulo, ut me excruciet: jam processit ad hunc (in via) locum, jam ad hujus ædes subfistit: en! ante januam adstat &c. quod mihi narrarunt adhuc viventes qui tum obsesto adstiterunt plurimi.*

XXIII. Maxime memorabilia atque stupenda a- lia quam plurima leguntur in illa quam nuper citavi- mus, cordatissimi Theologi, Chrift. Kortholti enarra- tione de Puerò obsesto, ex quo pauca adhuc excerpe- mus. Hunc primum adventantem, & nuperime ex Academia Rostochiensi reducem, cum, obiecta facie, ut uti prorsus non posset oculorum lumine, jaceret puer, statim allocutus, non sine scismaticæ salutavit: mox pueri parentem, ingredientem in cubiculum, hilari risu excepit, quod ipsi modo terrorem incussisset vanum: Id vero cum intelligeret nemo, ipse narravit quo pa-

B 3

cto

(19) cap. XXXIX. p. 144.

Et contigerit. Idem & multa a se perpetrata dudum facinora, quibus nocuerat, narrare saepè solebat, præsertim si aut adventantes aut adstantes ludibrio quodam exterruisset domi, Vide c. l.

XXIV. Solet autem hic malus dæmon plerumque per paroxysmos adfigere, qui raro sine ingentibus doloribus ægrotanti illatis cessare observatus est. Quod cum & huic pueru familiare esset, sibi redditus, tales esse eos prodebat, quales si acubus intestina compungentur: Factum tamen sape est, ut cum diceret: Jam se puerum suo modo excruciatum esse, præstare non posset, fatereturque se jam a Magno (ita vocare Deum omnipotentem solitus) ne id faceret, prohiberi. Fernelio visus, decies minimum quotidie corripiebatur, in intervallis sanus, sed labore confractus.

XXV. Porro Femerensis, neque cathedram ecclesiasticam suis nominibus, sed obscenis potius aliis nominare, infantum preces & concentum ægerrime ferre, seque multo frequentius nobis adfuturum, nisi horum sibilo, ipsi imprimis molesto abigeretur, adfirmare: sacri lavacri commemorationem penitus abominare, ignotum ingredientem furem iteratis verbis talem appellare: parentis obsessi itinera, & quid hic, illic, quid istuc ipsi eo momento accideret, ubi degeret, & quid in Curia Serenissimi ageretur cum ipso, accuratissime recensere.

XXVI. Quin & adulterii reum, cum is factum negaret, itaque juramento de objecto crimine ut se purgaret ab iudice ei fuisset injunctum, ipseque jam in eo esset, ut illud præstaret, dæmon locum tempusq; adulter-

qui notavit, eumque perjurio penitus suum fore, impense exultavit: mox tamen in eundem mire debachatus est, quod pejerare tum temporis recusasset, sed se eum ad Aulam (eo provocaverat) comitaturum, subjecit, ibique confidentiam tantam inspiraturum, ut praefracte omnia negaret. Quod quidē factum est: Interim puer cum antea quotidie insultus dæmonis pateretur, his prolatis, per biduum quietus degit, sed tertia mox die, pristina redit calamitas, effato dæmone, se jam ex itinere esse reversum: quod ad investigationem rei totius haut parum conferet.

XXIX. Sed hoc tandem relicto, quæ restant dicenda, exequamur. Ut itaque singula hominum corpora ut plurimum dæmones singuli invadant, non tam id perpetuum est, sed aliquando plurimi adsunt. Ut quidem ex ipsa discitur sacra historia, ubi Dominus dicitur ex (20) Maria Magdalena Septem diabolos ejecisse, & (21) interrogante Salvatore, quod Dæmoni, qui horrendis modis obfessum suum agitabat, ut sibi ipso mala multa ingereret, esset nomen, respondit ille: *Legionem se appellari*, λεγεών ἐνοπλός μοι. οὐτι πολλόν εσμεν. Hinc & bis mille porcorum gregem in mare præcipitem dedere. Et hoc fidem facit ei, quod *Gregorius Magnus* prodidit (22) de virginе obfessa, quæ, cū opera magorum ab uno Dæmone esset liberata, in unius locum 6. vel 7000. succellore. His jam applicare Ferneliani dæmonis responsum licet: (23) *Multa intus esse domicilia in quæ se recondat.*

XXX.

(20) *Marc. XVI, 9. Lue. VIII, 2.* (21) *Marc. V, 9. Lue. VIII, 30.* (22)
Lib. I. Moral. c. 9. (23) cit. loc.

XXX. Itaque mirum videri non debet, cum in uno corpore tot Dæmones locum inveniant, non singulos aliquando, sed integros cœtus, obsideri; quod de Vestalibus Quercetenibus, Pisanis Brigittinis, Ludunensibus (24) memoratur: Et Quercetenenses quidem annis quatuor & mensibus totidem propter unius succubæ peccatum misere exeruerunt qui ex legione Seraphinorum se esse mentiebantur. Bungi vero in Japonia, an. MDCLV. integrum familiam inde a centum amplius annis obsessam deprehenderunt illuc appellentes Christiani.

Romæ anno MDLIV. ultra 45. Mulieres obsessæ Corybantorum more insanivere. Quam historiam, tametsi elevare, & nil nisi fraudem subfuisse deprehensem esse, recens in Gallia scriptor, à nobis initio citatus (*Reponse aux questions d'un Provincial*) velit persuasum, prænova illa Gallica sapientia pugnans, tamen id falso ab eo obtendi, certum est, cum, literarum ignaræ etiam Latine responderint, teste oculari id afferente in *epistola* (25) ad *Job. Langium* perscripta. Quin ante hos 30. annos & quod excurrit, adeoq; & nostris temporibus accedit, ut Arnstadii pueri scholam illic trivialem frequentantes permulti à Dæmoniis corriperentur, quod unus eorum magicæ artis ludibria, ut murium productionem & talia introduxerit, multique, ab ipso instructi idem es- sent imitati. Adde de pueris triginta, Amstelodami obsessis *Wieri* narrationem (26) quanquam ille, ut solet, sua perversa explicandi ratione, quam negare rem non posset, corrumpere studeat: mox subjungens aliam: An-

(24) cum a Jordano, tum & Wiero passim (25) Vid. Ep. ej. respon-
foriorum L. II. 34. (26) De Malef. Affect. c. XIII.

DE OBSESSIS.

22

anno MDLV. Romæ in Orphanotrophio Puellas circiter LXX. simul una nocte factas Dæmoniacas. Hæc ille mancipiorum Diaboli advocatus insignis. Vide & cap. precedens X. ubi plura reperies exempla.

XXIX. Hæc sunt quæ energumenis solent varia obtingere. Duratio cum Paroxysmorum, tum obseßionis ipsius, incerta est, a solo Dei permisso vel tolerantia pendens. Nunquam tamen ad vitæ finem perdurare eam autumaverim, et si in antiquitatibus Patavinis de Beata Eustochia sanctissima quadam virgine id legatur accidisse: Romanensiū enim de sanctis suis narrationes non sunt extra dubitationis aleam. Paroxysmos vero alii duos, tres quotidie, alii unum, longissimum, non nulli insultus decem aut plurimos uno die patiuntur.

XXX. Ut vero, antequam corpus alicujus infidere occipiat dæmon, plerumque insueta quædam & inhumana in scenam ducat præludia, ut sub specie nigri canis, aut Aethiopis &c. appareat, exterrens miseros, & confundens, vel horrendis imaginibus, pavoribusque insolitis gravissimisque per somnum turbet, vel anxietatibus, doloribus cordis, aliisque similibus, (quod præsertim post comesta a sagis porrecta accidere statim solet) se adsuturum, veluti annunciat: ita & paroxysmos non sine perturbatione incipit, signisque aliquibus se prodit: Oculis rigidibus actor, vis, tensionibus membrorum, epilepticis insultibus, vel simili malo. Nec recedit, nisi torqueat, pungat, cruciet, vexetque vehementer ægros, ut vel exemplis a nobis supra ex Sacro codice citatis palam est.

XXXI. Exacto autem quod sibi a supremo rerum

C

domi-

domino præstitutum est, tempore, raro etiam sine tumultu recedit, & saltim ægrum suum miris distinet modis, atque angit, aut adstantes turbat. Non raro sub specie turpis aut vilissimi animalculi exit, Muscæ forma Laodoni exire visus est, Aranei aurei, caudati, & velocissimi cursus ex puella Brunsvicensi, teste certissimo Jordano, quem cum dejecisset, ingens tumultus, & Bombaratio in parte domus suprema audita est, & mox omnes insultus Dæmoniaci cessarunt.

XXXIV. His ita perspectis, ex enarratis ~~adversariis~~
~~regiomataria~~ quædā colligere licebit de iis quæ nobis in his obscura sunt, & abscondita; itaque ad hoc opus accingimur. Primum hoc patet, ex sacris pariter atque civilium rerum historiis, Dæmoni potestatem aliquando fieri, subire corpora humana, non tamen nisi per summum scelus ab eo admissum, quæ invasurus est: ut per abnegationem vel expressam vel tacitam summi Numinis, pactisque cum eo per Sacramentum initis rescissis; vel ab aliis, Diaboli regno jamdudum initiatis, qui in possessionem corporis alterius non modo consenserunt, sed & operam suam in hoc suo magistro improbo locarunt. Ita enim est, ut alibi demonstravimus, ut, nisi singulari obstante Divina gratia, liceant ei multa, si potestatem fecerint in proximum Sagæ, Magique, quæ alioqui ipsi neutriquam sunt permissa.

XXXV. Hæc scilicet ratio est, cur pacta constituant cum vilissimis etiam hominibus, vetulis, & proletariis, quas facilius per simplicitatem laqueis suis involvit: nempe ut per eorum consensum liceat nocere aliis, etiam innocentissimis, quoties Angeli Custodis ope desti-

tuun-

tuuntur. Ita enim omnium qui ea inquisiverunt testimonio constat, et si in hac re, metaphysica plane, ratios lateat: Nisi haec sit, quod, ut volens & potens actionem necessario subsequentem habet, instrumentum autem, nisi sit qui in actionem consentiat, illudque impellat agere non potest: ita & hic, si velithomo, quae alias non posset, accedente spiritu præpotente, & magistro ad eam rem improbo, ea possunt conjuncti, quae separatis minime erant integra: desinant ergo in hoc mirari seculi hujus Esavi derisores, nec causam ignorantes, rem ipsam statim damnent, nec rationi recte pugnantem, & per experientiam ac seculorum consensu confirmatam.

XXXVI. Quod autem non nisi intercedente re aliqua, vel deglutienda, vel alia ratione quacunque cum eo, cui hoc malum intenditur, intimius coēunte, obsessio succedit, ex eo colligitur, Symbolum hoc esse, quo certius de voluntate hominum malignorum constet, quove dato resilire a consensu & se retrahere (quod alias ipsis esset integrum) non possint.

XXXVII. Quo facto, mali quædā solet intercedere præfensio, terriculamenta vel lipothymia, vel, ut horrore ac nocturnis visionibus paveant; Quin & instantे paroxysmo, nunquam non in corpore quædam insignis fit mutatio: quia non potest ferre impune tanti spiritus præsentiam humana natura. (27) Ut enim tremenda maiestas Angelorum Principum (quod ex Daniele constat) (28) eripit priorsus & exhaustit animi corporisque vires: ita & Dæmonis, multo licet inferioris, abhorret vehe-

C 2

(27) Vide Kortholti Histor, ut §. XVI. omnino. (28) Dan. X.v. §:

10. 9.

menter animus præsentiam, horrorque & frigus occupat plerumque artus, quod molesta est menti humanae hæc intimior ejus conjunctio.

XXXVIII. Posteaquam vero intravit, quod jam in potestate est corpus, convulsivi potius affectus quam alii apparent, quia obvium est statim nervorum genus, & maximè muscularum tendines prompti, qui moveant quam expeditissime, & citra noxam ulteriorē. Nam hoc notari meretur cum primis, quod, quicquid etiam agitat oblessum corpus, nunquam tamen ipsi permittitur vel viscera corrumpere, vel membra integra, ossaque diffringere, sed ubi hilum suum peregit, & receptum canit, statim a paroxysmo homo recte valet, nec mali reliquiae ullae apparent, nisi quod laßitudo aliquando quidem insignis; non raro & levis, ex jactatione membrorum relinquatur.

XXXIX. Et hæc fere sunt, quæ naturali rerum virtute ordineque peragit. Quæ sequuntur, plerique omnia οὐτε φυσικὰ, & ex spirituum natura explicanda sunt. Quamvis hodierni naturalis Philosophiæ scriptores Pneumotogiam etiam ad illam trahant: ut in tanta ingeniorum luxurie & philosophandi (quod illi libertatem vocant) licentia, omnia jam fiunt, siue quæ posse negabat recta ratio. Quanquam ergo hoc ineptum sit, & frivolum, licebit tamen nobis & de his ex Pneumatologia hic paulisper Philosophari. Primum itaque altius extollit homines elevatque, ea potentia, qua sagas non raro per aërem velocissimo impetu ex uno loco in aliud defert, eripit expeditque e vinculis publicis, & ex altissimis turribus abducit in colums;

XL.

XL. Quod autem loquitur ex eorum ore , lin-
guisque cum peregrinis tum vernacula, id quoque fit
naturali modo atque ordine, musculos enim linguæ
prolubitu movet, impellitq; ex pulmone Spiritum pro-
pellens, adstricta laryngis rimula, haut secus ac ipsa facit
anima, ubi sui juris est. Hoc scilicet memorabile est
maxime, quod ego non vereor profiteri publice : In
paroxysmo ipsum ingredi corpus dæmonem , perin-
de ac olim in statuas & simulacra Deorum : In quo
dum præsens est, totum occupare, animam vero in-
terim diretricem τῶν εἰνεγγεμένων opprimi plane; ac ve-
luti teneri in vinculis. Hinc enim est , quod illa, de
qua sumus locuti , alteratio præcedat, natura humana
absonam conjunctionē abhorrente. Quin & omnes ani-
mi facultates , (22) cessare penitus & fatiscre , im-
puro spiritu omnia corporis organa occupante & re-
gente, spiritus dictos animales pro arbitrio impellen-
do, certum est. Linguam vero ipsum movere dæmo-
nem etiam D. Augustinus docuit, & ex eo *Jordanus* (29)
itemque *Wierus*. (30)

XLI. Cessant itaque omnes interni sensus, me-
moria etiam , et si hæc non semper. Hinc enim Fer-
nelius suum obsessum in quiete omnium meminisse,
Koribolus vero noster nihil eorum, affirmarunt : id
quod plerumque accidit , ac etiam in Brunsuicensi
puella factum , (31) Ecquid vero meminerit homo
eorum , quæ ipse non fecit? Sensus namq; interni qua-
si obice objecto , non percipiunt quod corpus agit, haut

C. 3.

ma-

(29) Confer *Jordan.* cap. 39, p. 143, *S. de mente ligata* p. 163, (30)
p. 164. (31) *De Malefic.* Apf. 6. II.

magis quam in deliriis, soporosis affectibus, imo & ipso somno profundiore.

XLII. Agit ergo ut spiritus hæc ipse Dæmon, oppresso interea spiritu motore & cognitore hominis. Triplex autem in obsessis actionum genus obit. Alia nempe ut spiritus simpliciter, quando regit corpus & agitat, movetque omnia: alia ut malignus & humanigenis hostis, ut quando cruciat illud, & doloribus plebit: alia denique ut spiritus damnatus, ipsiusque, Sanctissimi Numinis, ofor acerrimus, ut quando blasphemat, impedit, contemnit habet, & traducit pios conatus, sacraque omnia.

XLIII. His ita expeditis, ea subjecere licebit, quæ ad cognitionem vere obsessi pertinent, & quibus a naturalibus morbis insultus isti satanici distinguuntur: Medicis *Diagnosin* vocat. Etenim sœpe ad tales vocantur vel ad curandum, ubi non raro sub velo morborum, & symptomatum familiarium latet: Fernelio sane, præstantissimo viro, medico Regio prudentissimo, cum binis aliis per integrū trimestre Dæmon sub forma naturalium symptomatum imposuit, antequam eum possent cognoscere: tum vero irrisit pessimus, quod irritis pharmacis corpus ægri pene jugulassent; vel ad judicium ferendum, cum aliquando simulant vafri & callidi impostores, se agitari a Dæmoni, cum subsit mera fraus, & quædam ludendi alias petulans insolensque audacia. Cum verum igitur, tum falsum deprehendendi artem tradamus, quoniam ut plurimum, & quidem recte, in utroque hoc casu ad Medicos recurritur.

XLIV.

XLIV. Arduum autem, nec cuiusvis medicastrum est, τὸ θεῖον hic vel deprehendere, vel ab eo τὸ φαντασμὸν aut simulationem discernere, præsertim nullo in oculos incurrente symptome supernaturali. Decepti enim hic leguntur solertissimi etiam : Sic sub larva Epilepsiae, in tertium mensem deceptus *Fernelius*: Et que vero delusum fuisse *Joh. Echtium Medicum Colonensem*, memorat *Jordanus*, (32) *Pilulis de cynoglosso*, puellæ clam obfessa somnum conciliaturus: Cum enim in quæ finem darentur, quave efficacia essent, omnes nescirent, oculo altero occluso, *Vide!* inquit Dæmon, *quam egregie nunc dormiam*. Pisana autem virgo apud *Cæsalpinum* (33) cum dæmoniaca esset, integrum decennium sola crurum paralyti laboravit.

XLV. Contra vero accidit in Gallia, ut *Thuanus* historicorum nostri temporis *Coryphæus* refert. (34) Cum *Martha Brofferia*, quæ *Ludovicum Duretum* (at quantum yirum !) obfessionis simulatione tefellit, uti & *Altinum medicum*: ad quam cum *Episcopus properasset*, allato exorcismorum libro, recitavit primum Ἀνείδος versum. Illa, exorcismi hoc esse initium credens, affectato membrorum motu a spiritu torqueri se finxit. *Marescotus medicus*, imposturam non ferens, obductanti manus in cervicem injecit, eamque confistere jubens, spiritum fugavit: clamantibus interim ex *Urbone concionatoribus*: *Impediri ecclesie cum Dei hoste certamen* ! fabula vero de *Martha obfessa sensim evanescente*: adeo verum est Hippocraticum illud

(32) Cap. 45. p. 162. (33) *De Invest. Dam.* (34) Lib. CXXIII.

32 G. CHR. SCHELHAMMERI.

Iud: *Obscurissimos morbos opinionem magis quam artem*
judicare.

XLVI. Dum itaque sub naturali morborum cognitorum habitu Dæmon præsentiam suam occultat, per difficile est, ipsum deprehendere, cum symptomatum istorum maximus sit numerus. Duo tamen sunt quæ certe fraudem produnt. I. Si corporis constitutio sana non congruat morbo, nullave causa naturalis, ex qua hæc solent oriri, appareat, II. Si a vetula suspecta, aut alio quoque comedendum quid aut bibendum sit oblatum, & mox habuerit insigniter male, III. Si nihil tamen medicamenta optima prudenter usurpata efficiant. Augent suspitionem cum oculi aspectus terribiles sunt atq; ignei, membra distorquentur, stupent, obmutescunt: cum proterve, impie, irreventer & impudice loquuntur, aut gestus componunt suos. Hinc etiam *J. Gerhardus*, summus ille Theologus, & Deo insigniter carus: primo loco hic ponit *Impuritatem sermonis & gestuum!* (35) Quo pertinet illud Hippocratis: *Hominis moderati proterva responsa, malum* (36) Adde his: & velocissimo cursu se ex hominum confortio proripere, aut alia perperam agere, & inconsulte; cum primis si hæc per paroxysmos affligant, convulsiones sine causa oriuntur, & lucida, ut ajunt, intervalla sequantur, ubi rectissime valent, siue a paroxysmo, sibi reddit, & nihil debilitati, statim redeant ad consuetum opus, aut ingenii indolem.

XLVII. Omnim vero certissimum est signum, si loqui incipiatur dæmonium, & vel vernacula occul-

tæ

(35) *Isag. Lector. Theol. XIV. 8. 12.* (36) *Prærhet. 1, Apb. 4. 4.*

tā efferat, quæ sciri non possunt (vide *Gerhardum Thyneum, & Gisbertum Voetium*, mox citandum) aut peregrino idiomate utatur: Non enim credendum *Huarto* est, qui in certas temperamenti conditiones, morbi ingenium, singularemque spiritus elevationem hæc refert. Nam haut potest natura, quæ extra ejus potestatem sunt, sine motore potentiori perficere, atque præstare: est autem extra eam, linguas peregrinas proloqui, quæ inventum sunt hominum, non ipsius opus: His accedit demum, quod cantica sacra, preces, divinaque oracula pronunciare non possint, laborent que dum proferunt, & renitantur, dum vero recitant alii, clamant, strident, convelluntur, blasphemant: consentiente in his *Balduno*. (38) Quæ, si simulari suspicio sit, Episcopi ex Thuano modo laudati pia fraus utcumque imitata, malitiam prodet.

XLVIII. Addit *Gisbertus Voetius* (39) inter signa certiora esse, si affligantur immediate ante dismissionem seu egressum Dæmonis: & recte. Solent enim morbi naturales fere sensim mitigari, non exacerbari in paroxysmorum fine: *Alphonsus* vero *Tostatus* & hoc inter signa recenset, quod sibi restituti, nesciant respondere de his, de quibus sermonem habuerint. Est vero, & hoc magnum documentum: tametsi enim delirantibus idem accidere possit, tamen deliria in similibus paroxysmis neutiquam solent adesse.

XLIX. Hæc sunt, quibus latentis & occultantis se dæmonis technæ deteguntur, aq; a naturalibus morbi ac sinceris discernuntur. Qui vero sui juris, obsessos se si-

D

mnr-

(38) *Cef. Conf. III. 3: (39) Disp. sel. Part. I. de Energ.*

mulant, ita deprehendere licet: 1. Si nihil nisi quod etiam alias visum sit, contingat, et si vulgo insolitum videri possit: si nec constitutio corporis, nec symptoma & causae, inter se cohærent; quod tamen non nisi periti Medici est judicare, ut fuit Marescottus. Morbos autem naturales, facile plerumque cognoscimus, si modo in Pathologicis probe simus exercitati: In hoc uno est difficultas, si convulsivi motus appareant, præsertim in hysteris mulieribus, ubi mira nonnunquam occurunt: prout constabit, si quis legerit Willisi librum. Nostræ tamen virgines tam atrociibus malis non sunt obnoxiae: Anglicæ & Suecicæ magis. Cavendum ergo in his, ne superare naturam putemus forte, quod ex ordine causarum contingere, nulla obstante solida ratione, credi utique par est.

L. Ut vero quæ dicta sunt hæc tenus, nemo facile ad Medicum pertinere, dubitaverit, sic magna est incertitudo ac disputatio doctorum, an ad ipsum etiam dæmonem expellendū opera ipsius possit esse utilis. Theologi quidam, maxime veteres, omnem naturalibus in spiritus efficaciam admunt; Medici ex adverso, nimium naturæ vim extollunt, ne quid detrimenti scilicet capiat vel ipsorum vel artis existimatio. Nec utrisque argumenta desunt. Illi in naturam intellectualem, & immaterialem, quales sunt Dæmones, nihil valoris esse corporis rebus afferunt. Hi Avicennam in prima acie colloquant, qui solis naturalibus dæmonem pelli posse credidit, quoniam solis utatur causis secundis. Albertus etiam Magnus, Liranus, & Paulus Burgensis Episcopus, per sensibilia quædam dæmoniacos juvari posse, habent persuasum:

35

sum: *concreasse enim Deum spiritibus quandam potentiam sensitivam spiritualem*, per quam subjicantur passionibus rerum corporalium: Talia multa habent *Porphyrius*, *Proclus*: & alii. Judæos quoque expulisse suffitibus dæmones, testis est fide dignissimus *Justinus Martyr contra Triphonem*, *ipsum Judæum*: & *Hermetem Trismegistum* ferunt suffumigis ex ligno Aloes & ceteris spermate dæmones congregasse, suffitu vero sulphuris fugasse: Non patitur angustia liminis nobis præscripti, omnia adducere, discussione dignissima, si pateretur: hæc tamen præcipua sunt. Legi interim possunt plura apud *Jordanum cap. 64.*

LII. Quod vero ad quæstionem attinet, neq; Theologorum dogma per omnia admittendum, neque Naturæ Myстorum. Nihil equidem in spiritum posse corpora, ut ut certum videatur esse, scrupulum tamen injicit humanus spiritus, in quem sane corporis fluida, & sensuum influentia plurimum possunt: uti id jam ipse Galen⁹ noster singulari libro dudū ostendit. (40) Idem præterea ex morali Philosophia discimus, cum concupiscentia ex sensibus, animi affectus ex concupiscentia, peccata, animæ imputanda oriuntur ex affectibus, quamvis horum forte alia sit ratio. Interim universalis propositio his infringitur.

LIII. Medicorum vero & Philosophorum ratio non minus vacillat: Nam causarum naturalium & notitia, & applicandidexteritas major est Dæmonibus, quam ut a nobis æque perspici omnis possit: adeoque nec potest contrariis earum effectus impediri: & quod

D 2

ma-

(40.) Libr. cui titulas: Quod animi mores corporis temperatram sequantur.

magis est, pleraque non interventu corporum, sed intermediate agit Dæmon, nequaquam naturæ viribus: ut cum attollit in altum gravia corpora, & utcunq; movet. Neque aliter musculos ac membra humani corporis ab ipso moveri in obseffis, a nobis supra demonstratum est.

LIII. Supereftilla concreata spiritibus potentia, qua pati aliquid a corporeis rebus existimantur: Verum & his opponi possunt non pauca. I. Quod spiritus antequam corpora fierent, sint creati: non poterat itaque jam tum ad corpora in iis fabricandis haberi respectus. II. Quod de ea re neque in sacris quicquam revealatum sit, si Tobiae, Apographi libri, historiam excipias, neque in protonis certa exempla, quæ careant dubitatione, profert. Nam quod de Judæis affertur, illi forte Tobiae historia seducti, ut, rei ifti fidem haberent, a Dæmone fuerunt decepti: (41) Quod autem *Josephus* commemorat, & hoc maxime pertinet, radice quadam, Energumenon naribus admota, Dæmonem ab iis fugatum esse, naturalibus viribus factum, cum illi *Conringio* (42) pernegamus, Personatus porro ille *Trismegistus* quem Græco nomine, Ægyptium tamen diu ante Græcanicam eruditionem viventem fingunt, & cujus nulla in literis Græcis unquam mentio facta legitur, si exstitit unquam, (extitisse autem, eruditii antiquitatis scrutatores adhuc dubitant, nec contra laudatum *Conringium* ullo idoneo satis testimonio Borrichius potuit ostendere, libros enim ei attributos omnes suppositios esse, est hodie satis notum) certe Magus fuit, si hæc vera sunt.

LIV.

(41) *VIII. Antiq. Jud.* (42) *Disp. de Incantationis circa morbos efficacia §. 36.*

LIV. Scio equidem, multa a variis auctoribus, Dioscoride præsertim & Plinio, in quibus sit vis dæmones vel cohibendi, vel depellendi, commemorari. Abrotanum, Artemisiam, Verbenam, Polytrichum, rutam, moly, herbam Paris, hypericum, fugam Dæmonum hinc dictum, betonicam : Item Corallia, Myrrham Camphoram, &c. Sed ea profuisse qui notaverit, Medicum fide dignum vix reperio : unum si excipiamus unguentum Carrichteri, quod efficacissimum expertus est Henricus ab Heer, & herbam Paridis, a Mathiolo (43) laudatam. Neque tamen video quid obstat, quo minus his utamur, si quid posse ea, quis confidat : præsertim cum in Veneficio affectis sciamus prodeesse : tametsi olim Ethnicis in sacrificiis adhabita eorum nonnulla fuerint, adeoque hinc suspecta videri possent : quamvis & haec in nostro hoc casu vix quicquam præstitura, plane existimaverim.

LV. Plus spei est in fortioribus, Purgantibus puta ac vomitoriis, quæ efficacia in dæmonem ipsum suisse, historiæ medicæ testantur. Erasmus Roterodamus, vir sane optimæ fidei, (44) Taurinensis cujusdā dæmonem fortipurgante ejectū esse, refert ; Vomitoriis vero Rulandū & Freitagium dæmoniacos non semel curasse, Illustris Conringius tradit, (45) Enimvero malum dæmonem in atra bile, h. e. sanguine crasso, nigro, corrupto, qui billem potentiam atram multam in se continet, delectari, in confessio est apud omnes. Vide Wierum (46) Fr. Vallesium (47) Conradum Wimpina (48) Sennertum, & alios.

D 3 Hoc

(43) In IV. Diosc. c. 78. (44) In Medicine encomio. (45) Disp. modo alleg. (46) L. II. cap. 8. (47) De Sacra Phil. (48) L. II. de Superstitione.

38 G. CHR. SCHELHAMMERI DISS. DE OBSESSIS.

Hoc igitur humore expurgato , & ejus ista colluvie
peccima , in qua ille ales infernalis nidificat , fieri po-
test , ut & ipse cogatur avolare , & reverti ad Syrias
undas .

LVI. Verum audio hic Jordanum , objicientem :
(38) Vereor , ne , qui vel iis etiam utuntur , laterem la-
vent ; certe in milie aliis frustanea erit purgatio , &
quicquid propinat Martinus Rulandus , nisi devotissime
preces accesserint . Recte id quidem . Accedant igitur ,
quæ & sine medicamentis , Divino Numine ar-
cessito in auxilium , fortissime in Dæmonem pugnant .
Concurrente naturali cause supernaturali , inquit Del-
Rio , agere res corporea potest in dæmonem , eumque pel-
lere : primaria enim causa actionis supernaturalis illi
a Deo initio creationis indita . Sed etiam nihil juvent !
Humanum tamen , secundum Aëtium nostrum (39) &
benevolentia signum est , in extremis malis etiam usque
ad experimenta venire , ad difficultatem afflictionis
compescendam .

(49.) L.cito.cap.64. (49.) Tertabibl. IV. Serm. I. 121.



ULB Halle
003 742 709

3



f
TA → SL

nur 1+21 ShirK verknüpft



Gustav Rander,
2-11-1890.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA

DE OBSESSIS,

Quam

Ad præscriptum
Constitutionis FRIDERICIANÆ,

P R A E S I D E

GUNTH. CHRISTOPH.
SCHELHAMMERO,

Med. D. & in Academia Kiloniensi

Profess. Publico Primario, &c. &c.

Publice defendet

BONIFACIUS LAURENTII

Tonningensis.

Die 2. Octobr. 1704.

In Auditorio Majori.

K I L O N I ,

Literis Bartholdi Reutheri, Acad. Typogr.

22

4

9